

sperare. Duo in assertione contendimus: a) Fidem et spem amitti per peccatum directe oppositum. b) Quod non amittantur nisi per peccatum oppositum. Assertio intelligitur per se et directe, nam indirecte deperdita fide, spes cum suo fundamento etiam ruit.

Prob. quoad a) Charitas amittitur per peccatum mortale directe contrarium fidei et spei: ergo etiam fides et spes amitti debent tali peccato. *Consequentia* prob. Nam ideo charitas amittitur per peccatum directe contrarium fidei et spei, quia tale peccatum opponitur ipsi charitati secundum propriam rationem; sed non minus opponitur fidei et spei: ergo etiam fides et spes debent amitti per peccatum directe contrarium ipsis, ut de infidelitate expresse asserendum voluit Synodus Tridentina, cum docuit: «asserendum est, non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, etc. (1).»

Prob. quoad b). Nam si ratio peccati mortalis non sufficit ut expellatur fides et spes ut constat ex secunda parte, sequitur peccatum, quo fides et spes excluduntur debere habere specialem aliquam oppositionem cum ipsis. Sed exceptis peccatis virtutibus illis directe contrariis, ut sunt infidelitas et desperatio, nullum invenitur peccatum, quod habeat cum illis virtutibus contrariam specialem oppositionem. Ergo fides et spes directe et per se solum expelluntur per peccatum illis directe seu contrarie oppositum.

19. Obj. 1.<sup>o</sup> S. Joannes ait (2): *Qui non diligit non novit Deum*; et post (3): *Qui credit quoniam Deus est Christus ex Deo natus est*. Ergo juxta primum textum, qui non diligit non novit Deum seu non credit; et juxta secundum, qui credit *ex Deo natus est* i. e. est in gratia et diligit. Ergo fides inseparabilis est a charitate et gratia; et vicissim.

Resp. Ad primum, non novit Deum seu non credit proprie; neg. Improperie i. e. non satis considerat qualis sit Deus; conc. Si enim consideraret non peccaret, sed illum amaret. Ad secundum, qui credit fide formata i. e. quae est cum gratia; conc. Informi, quae non sit una cum gratia; neg. Possunt etiam ultima verba intelligi de fide simpliciter secundum substantiam ejus, sive formata sive informi, et tunc cum proportionem accipienda erunt verba illa *ex Deo natus est*, nempe inchoative, imperfecte, non plene; erit natus ex Deo quoad spiritum fidei, ex quo loquitur, et quoad revelationem divinam, quam confitetur. Hic sensus videtur maxime literalis, quia Joannes eo loco docet, oportere discernere spiritum filiorum et verorum prophetarum, quod ut obtineatur dat si-

(1) Sess. 6, cap. 15.—(2) I.<sup>a</sup>, IV, 8.—(3) Ibid. V, 1.

gnum (1): *Qui confitetur Jesum Christum... ex Deo est; et... qui solvit Jesum, ex Deo non est*.

Obj. 2.<sup>o</sup> Ex Patribus, qui ut Ambrosius (2) ex locis adductis S. Joannis, videntur arguere: «ergo qui credit Jesum Christum esse, non peccat.» S. Hieronymus (3) circa verba *fructus autem Spiritus*: «Cum dilectio procul abfuerit, et fides pariter abscedit.» Ergo...

Resp. Priores loquutiones exponi debere de fide formata, ut expresse docet Augustinus, qui exponens verba S. Joannis (4) dicit: «Qui confessus fuerit non verbo, sed facto; non linguam, sed vitam.» Aliae loquutiones similes loquutioni S. Hieronymi exponuntur hac distinctione, fides abscedit necessaria illatione; neg. Morali periculo; conc. Constat ex ipso S. Hieronymo (5) testante: «Quia non sufficit murum habere fidei, nisi ipsa fides bonis operibus confirmetur;» ubi supponit, fidem indigere bonis operibus ut firmior et veracior sit, non vero ut simpliciter sit, conformiter ad doctrinam Apostoli (6), qui loquens de bona conscientia ait: *quam quidem repellentes, circa fidem naufragaverunt*.

Obj. 3.<sup>o</sup> Fides comparatur ad gratiam habitualement ut potentia vel proprietas consequens suam naturam. Sed deficiente natura, et potentiae et proprietates eam consequentes deficiunt. Ergo..

Resp. Conc. *maj.* juxta dicta n. 17, 4.<sup>o</sup>; *Min.* dist. Si speciali et congruente Dei providentia non conservantur; conc. Si conservantur, ut constat de fide et spe ex allatis argumentis; neg. Et enim «lex conservandi habitum fidei (idem esto de habitu spei) post interitum gratiae colligitur, ait Ripalda (7), ex testimoniis sacrae paginae et Patrum, communi catholicorum doctorum sensu intellectis, et ex definitionibus Ecclesiae.»

Inst. Fides et spes sunt dispositio necessaria ad justificationem et ipsius fundamentum. Ergo non stat comparatio fidei et spei cum proprietatibus consequentibus naturam.

Resp. Dist. *antec.* Fides et spes, ut sunt habitus, sunt dispositiones et fundamentum justificationis; neg. Ut sunt actus; conc. Nullibi habitus fidei et spei ad justificationem consequendam requiruntur, sed solum actus.

Obj. 4.<sup>o</sup> De spe legitur (8): *Qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille (Christus) sanctus est*. Ergo spes non separatur a charitate.

(1) Ibid. IV, 2.—(2) L. 5, epist. 44.—(3) In Gal. V, 22.—(4) Trac. in epist. Joann.—(5) In Isai. XXVI.—(6) I.<sup>a</sup> Timoth. I, 19.—(7) De ent. supern. D. 128, n. 53.—(8) I.<sup>a</sup> Joann. III, 3.

Resp. Explico *antec. Sanctificat se*, dispositive saltem; conc. Formaliter; subdist. Spe viva per charitatem informata; conc. Sine hac; neg.

Obj. 5.<sup>o</sup> S. Augustinus (1) ait: «Charitas bene operantis »dat ei spem bonae conscientiae, spem enim gerit bona conscientia. Quomodo mala conscientia tota in desperatione est, sic bona conscientia tota in spe.» In Enchirid. (2): «Jam de amore quid »dicam, sine quo fides nihil prodest? Spes vero sine amore esse non »potest.» Idem S. Ambrosius (3): «Ex fide charitas, ex charitate spes, et rursus in se sancto quodam circuitu refunduntur.»

Resp. Id dixisse laudatos Patres de spe formata, haec enim est quae ex charitate vires et firmitatem habet, ut exponit D. Thomas (4). Quod vero Augustinus ait, malam conscientiam totam esse in desperatione, intellige malam conscientiam quantum est ex se non inducere spem, sed potius illam infirmare, seu ad desperationem inclinare; qui enim habet malam conscientiam consequenter credit quod secundum praesentem statum si in illo moriatur non salvabitur, et sic desperat de salute secundum praesentem injustitiam; sperare autem potest et debet, se posse cum divina gratia mutare conscientiam et salvari.

Obj. 6.<sup>o</sup> Omne peccatum mortale est dignum amissione omnium donorum. Ergo etiam fides et spes quocumque peccato mortali, etc.

Resp. Trans. vel conc. *antec. Consequens* dist. Ergo etiam fides et spes amitti debent, si non datur lex excipiens; conc. Si datur, ut probatum est, neg. Privabitur quidem peccator post mortem omnibus donis absolute, nisi ante, gratiam recuperet; sed benignissimus Deus non statim infert omnem poenam, quam meretur peccator: alioquin et omni auxilio supernaturali deberet peccatorem privare.

20. *Quaeres*: quomodo peccatum mortale expellat virtutes infusas?

Dicendum est, actuale mortale peccatum charitatem et virtutes infusas non effective et formaliter, sed moraliter et demeritorie expellere.

Ita probabilius cum Suario (5) contra alios aliter sentientes. Quod *non effective et formaliter* breviter prob. 1.<sup>o</sup> Quia habitus et actus non opponuntur formaliter. Sed charitas et peccatum actuale mortale comparantur ut habitus et actus. Ergo non potest actuale mortale peccatum excludere formaliter charitatis habitum. *Maj.* prob. Quia contraria, quae mutuo se expellunt formaliter, debent esse ejusdem generis, qualia sunt vel habitus inter se, vel actus

(1) Praefat. in Ps. XXXI.—(2) Cap. 8.—(3) L. 8, in Luc. XVII.—(4) I, 2, Q. 65, a. 4 ad 3.—(5) De grat. l. 11, c. 4, nn. 9, 11; c. 7, n. 13.

inter se; actus vero et habitus sunt diversae rationis et habent modum efficiendi valde diversum, ut ex ipsa philosophia notum est.

2.<sup>o</sup> Quia formalis expulsio physica non fit nisi per formam realem physice informantem subjectum et alteri repugnantem. Sed in actuali mortali peccato nihil est reale physice informans animam formaliter repugnans habitui gratiae vel charitatis; ut patet in peccato purae omissionis, in peccato vero commissionis totum id quod est physicum reale potest esse in voluntate cum charitate vel gratia, v. g. si quis inadvertenter haberet odium Dei. Ergo...

Quod *moraliter et demeritorie* prob. Actualis dilectio Dei super omnia est dispositio optima ad infusionem charitatis; ergo actus illi dilectioni contrarius, ut est actuale mortale peccatum, est proportionata animi dispositio, ut ratione illius Deus suspendat influxum, quo gratiam et charitatem conservabat. Confirm. Mortale peccatum non est dispositio ad privationem charitatis ratione entitatis physicae, quam in se habet, sed ratione malitiae, quae solum est quid morale sive dicatur privatio sive aliquid rationis. Ergo ratione hujus moralitatis potest actus esse dispositio physica seu praesens ad realem effectum privationis charitatis aliarumque virtutum a Deo inducendum.

Neque haec doctrina vel minimum a mente D. Thomae discrepat (1); nam quod in 2, 2.<sup>ae</sup> Q. 24, a. 10 «obiter et aliud agens »brevissime dixit, omne peccatum mortale effective expellere charitatem, quia omne peccatum contrariatur charitati... totum potest optime juxta materiae capacitatem de morali expulsionem et »contrarietate intelligi. Deinde majorem illius dicti explicationem »in art. 12 remittit, ibi autem aperte docet actum peccati non expellere charitatis habitum, tamquam formam illi contrariam, »quia actus, inquit, non directe contrariantur habitui, sed ut obstaculum, quod homo interponit divinae influentiae, qua charitatem conservat, sicut qui ponit obstaculum soli... fenestram claudendo, dicitur efficere tenebras seu expellere lumen ab aere. Manifestum est autem peccatum non esse physicum obstaculum influentiae divinae, sed morale; item constat etiam in exemplo, quod »D. Thomas adducit, eum, qui claudit fenestram, non proprie »corrumpere lumen, sed ut causa per accidens apponendo impedimentum, sicut e contrario qui removet prohibens, aperiendo fenestram... non nisi per accidens efficit lumen, proprie ac physice »loquendo, quamvis moraliter dicatur talem effectum simpliciter »efficere; ergo non alia ratione aut modo tribuit D. Thomas »peccato aut peccatori, quod effective gratiam expellat.»

Observabis forte cum eodem Eximio: D. Thomas duos

(1) Suar. De grat. l. 11, c. 4, nn. 7, 16-20.

modos distinxit, «quibus peccatum corrumpit gratiam, scilicet, »effective et meritorie.» Ergo non tantum moraliter, sed etiam physice, etc.

Resp. Hoc non obstare. «nam intra latitudinem causalitatis moralis possunt et debent illi duo modo distingui, advertendo verbum merendi interdum late sumi pro quacumque proportionem seu dignitate morali, sicut dicitur persona nobilis mereri tale munus. »i. e. esse illo digna, alio modo sumi proprie pro valore moralis operis... Hoc ergo posteriori modo D. Thomas ibi loquutus est, et sic illud distinxit ab alia morali causalitate peccati. »Nam meritum dicit ordinem ad retributionem secundum ordinem justitiae, quae in merito peccati est vindicativa... At vero moralis expulsio per modum obstaculi... non respicit rationem vindictae... »sed ex vi talis oppositionis moraliter inducit talis formae privationem. Quod optime declaratur exemplo... de amicitia humana. »quae per gravem offensionem moraliter solvitur, non per modum meriti prout dicit ordinem ad poenam et vindictam justam, sed »per moralem efficaciam, qua voluntatem amici offensi a persona »offendentis avertit, ultra quam correspondebit injuriae per modum meriti condigna poena, quam non persona offensa, sed iudex superior rependet; ita ergo est in Deo, si duae illae rationes personae »offensae et iudicis distinguantur.» Adde ex eodem Suario ita exposuisse D. Thomam antiquos thomistas et aliquos veterum theologorum.

Denique animadvertendum venit, quamvis ex dictis jam erat colligendum: «Peccatum mortale per se primo expellere gratiam, quia »peccatum actuale inducit maculam in anima, quae totum hominem reddit Deo invisum et odibilem, et per illam censetur quasi »formaliter expellere gratiam. Reliqua vero dona et virtutes morales infusae quasi concomitanter expelluntur, quia recedente gratia, quasi principium proximum conservationis earum tollitur, et »consequenter ipsae etiam auferuntur.» Excipiuntur divina providentia fides et spes, quae solum peccato eis directe contrario auferuntur, ut dictum est.

**Dico VI.** Virtutes infusae augentur et intenduntur cum gratia sanctificante.

**21. Nota.** Agitur, ut jam verba thesis indicant, de augmento intensivo, quod ita describitur a Suario (1), intensio est habitudo quaedam seu modus entitatis formae intensibilis, per quam eadem qualitas capax est ut magis ac magis in eodem subjecto secundum eandem partem seu entitatem subjecti perficiatur. Quomodo fiat intensio disputatur inter theologos. Angelicus de

(1) Metaphys. D. 46, sect. 1.

charitate respondet (1): «Charitas augetur solum per hoc quod subjectum magis ac magis participat charitatem, i. e. secundum quod »magis reducit in actum illius, ac magis subditur illi. Hic enim »est augmenti modus proprius cujuslibet formae, quae intenditur, »eo quod esse hujus formae totaliter consistit in eo, quod inhaeret »susceptibili. Et ideo cum magnitudo rei consequatur esse ipsius, »formam esse majorem, hoc est eam magis inesse susceptibili, non »autem aliam formam advenire. Hoc enim esset, si forma haberet »aliquam quantitatem ex se ipsa, non per comparisonem ad subjectum. Sic ergo et charitas augetur per hoc, quod intenditur in »subjecto; et hoc est ipsam augeri secundum essentiam; non autem per hoc, quod charitas addatur charitati.» Alia sententia probabilis Suarii (l. c. n. 35) dicit, intensionem fieri per additionem gradus ad gradum sive illi gradus sint homogenei, sive individualiter heterogenei ut idem Suarius (l. c. n. 39) probabiliter existimat. Ripalda (2), contendit S. Thomam ultimae sententiae adscribendum esse. Utraque sententia explicat, saltem probabiliter, intensionis modum; prima tamen ut videtur, magis commendatur D. Thomae auctoritate. Assertio, ut dicitur virtutes augeri, est omnino certa; ut dicitur augeri per intensionem, est communis theologorum; contrarium affirmare esset temerarium juxta Ripaldam (3):

Prob. 1.<sup>o</sup> Concil. Tridentinum definit (4): «Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam non augeri »coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo, et »signa esse justificationis adeptae, non autem ipsius augendae causam; anathema sit.» Unde sic arguitur: eadem justitia in remissione peccatorum a justis accepta, per bona opera in eis augetur, et consequenter intenditur; est enim quoddam ejusdem qualitatis (gratiae).—eidem subjecto (justo) inhaerentis,—secundum eandem partem (ipsam gratiae entitatem) augmentum. Sed justitia integre sumpta non solum dicit gratiam in essentia animae, sed etiam dona virtutum infusarum. Ergo etiam haec, cum gratia sanctificans augetur et intenditur, augentur et intenduntur. *Min.* est ipsius conc. Tridentini (5) statuentis: «Justificatio... non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis »per voluntariam susceptionem gratiae et donorum;» inter quae virtutes infusae continentur, ut probatum est.

**2.<sup>o</sup>** Ex Scriptura cum eodem Tridentino (6): «Sic ergo justificati... in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante »fide, bonis operibus, crescunt, atque magisificantur, sicut

(1) 2, 2, Q. 24, a. 5.—(2) De ent. supern. D. 129, nn. 17, 18.—(3) Ibid, n. 10.—(4) Sess. 6, can. 24.—(5) Sess. 6, cap. 7.—(6) Ibid. cap. 10.

»scriptum est: *Qui justus est justificetur adhuc* (1): Et iterum: *Ne verearis usque ad mortem justificari* (2): Et rursus: *Videtur quoniam ex operibus justificatur homo et non ex fide tantum* (3). Hoc vero justitiae incrementum petit sancta Ecclesia cum orat (4): *Da nobis, Domine, fidei, spei, et charitatis augmentum.*» Quibus ultimis verbis clarissime exprimitur intima connexio et mutua reciprocatio inter gratiam et virtutes eam comitantes.

3.<sup>o</sup> Ex Patribus; verbis S. Augustini supra (n. 16, par. 1.<sup>a</sup> 3.<sup>o</sup>). «Inchoata charitas, inchoata justitia, etc.» S. Gregorius (5): «Non mirum si de virtute in virtutem gradus sunt, quando ipsa unaquaeque virtus quasi quibusdam gradibus augetur, et sic per incrementa meritorum ad summa ducitur.»

4.<sup>o</sup> Quando infunditur gratia sanctificans, etiam infunduntur virtutes, ut vidimus. Ergo pariter quando illa augetur et intenditur, etiam virtutes augentur et intenduntur. *Consequentia* prob. Quia sicut gratia interna, v. g. ut duo, exigit virtutes ut duo, ut hae proportionaliter ad naturam, quam consequuntur operentur; ita gratia ut quatuor intensa, exigit virtutes ut quatuor intensas; aliter perfectiori naturae non responderent perfectiores potentiae.

22. *Scholion.* Quolibet bono opere libero et supernaturali ab homine justo elicitum statim ejus gratia augetur; et simul eam comitantes virtutes proportionaliter crescunt.

Constat primo, testimoniis concilii Tridentini in probationibus (1.<sup>o</sup> 2.<sup>o</sup>) numeri praecedentis allatis; ubi sine distinctione bonorum operum et temporis dicitur justum bonis suis operibus crescere dum vivit in justitia: ergo omni bono opere et omni tempore, quo opus bonum elicitur: remissum esse actum nihil tollit de bono opere, solum reddit bonum opus minus meritorium relative ad opus bonum aequale vel magis intensum; absolute autem in se retinet totum suum valorem ad praemium suum obtinendum, non secus ac ille, qui primo convertitur per actum remissum charitatis, statim obtinet justificationem licet potuerit auxilio praeveniente a Deo elargito intensiorem actum charitatis elicere. Secundo, ex dictis ubi de merito (6) et hinc, fluit hoc scholion. Etenim justus quolibet opere libero et salutari meretur ut statim ei conferatur augmentum gratiae; sed ex dictis hic augmentum gratiae secum fert proportionale augmentum suarum virtutum; ergo...

Ita probabilius, si scholion sumitur in tota sua universalitate, nam quoad aliqua particularia notandum venit: a) aliquatenus dissentire illos auctores, qui docent fidem, et spem infundi indepen-

(1) Apoc. c. ult.—(2) Eccli. XVIII, 21.—(3) Jacob. II, 24.—(4) Dom. XIII, p. Pentec.—(5) In Ezech. homil. 15.—(6) Disq. IV, Thes. XXXIII.

denter a charitate (supr. n. 15); horum aliqui cum Vazquez sentiunt fidem et spem solum augeri per actus fidei et spei; alii cum Suario volunt fidem et spem seorsim a gratia seu ei non unitas solum augeri actibus fidei et spei ipso habitu earum intensioribus, si vero sint cum gratia, concedunt etiam augeri per actus aliarum virtutum, si tamen fides et spes non sint gratia habituali intensiores; nam in hoc casu non crescunt donec gratia sanctificans et virtutes morales sint aequalis intensiois cum fide et spe (1). b) Etiam non omnino nobiscum consentire eos auctores, qui ad hoc ut detur augmentum gratiae requirunt actus intensiores aut aequales intensos ac est habitus gratiae; hi enim, si actus est habitu gratiae remissior, non admittunt augmentum gratiae dari statim (2).

**Dico VII.** Nulla peccatorum venialium multitudine virtutes infusae proprie remittuntur seu diminuuntur.

23. Assertio: a) intelligitur de potentia ordinaria et de facto, nam absolute sicut augentur, ita posset Deus eas imminuere auferendo additum augmentum. b) Sumitur de remissione propria, quae fit per diminutionem intrinsecam habitus secundum intensioem; non de impropria, quae habetur per diminutionem facilitatis in usu habitus, ratione peccatorum venialium, quae actuum et affectuum minuunt fervorem, impedimenta extrinseca augent, ita ut habitus infusus quasi difficultatibus obrutus remisse et operose agat. Hanc dari nemo dubitat, et per eam explicanda sunt quaedam testimonia Patrum dum commendant cavere venialia, ne illorum multitudine anima languescat et tandem pereat. c) Est juxta Suarezium (3) ita certa, ut contraria non sit probabilis nec verisimiliter defensibilis.

Prob. 1.<sup>o</sup> Propter communem theologorum sententiam, uno vel altero excepto, sequentium D. Thomam (4) id specialiter de charitate docentem.

2.<sup>o</sup> A posteriori. Si peccatum veniale minueret charitatem, multiplicatis peccatis venialibus, posset omnino charitas et gratia auferri, quod est omnino falsum, cum solum mortale avertat a Deo finaliter. Ergo... Jam vero quod de charitate dicitur et de virtutibus eam comitantibus consequenter intelligendum est.

(1) Vid. Suar. De grat. l. 9, c. 4, nn. 11-15.—(2) Nota ita affirmandum esse a nobis conformiter ad ea, quae de merito augmenti gratiae (Disquis. IV), docuimus; nec mirum alicui sit, moneam cum Em. Mazella (De virt. infus. n. 163), si «posterioribus Concilii Tridentini decretis strictius adhaerentes, ab Angelici praeceptoris sententia» discedimus «in re nondum apud ipsum penitus explorata.»—(3) De grat. l. 11, c. 8, n. 7.—(4) 2, 2, Q. 24, a. 10.

Hypotheses, quas aliqui excogitarunt ad vim elidendam hujus argumenti, ut si diminutio fieret per substitutionem gradus gratiae inferioris ordinis vel per divisionem proportionalem graduum ejusdem gratiae sine fine v. g. primo auferretur dimidia pars, secundo quarta, tertio octava, etc., ita ut numquam perveniretur ad finem divisionis, ut gratis confictae, nullo argumento fulcitae, imo prima contraria sensui obvio Conciliorum et Patrum non admittenti gratias sanctificantes diversae speciei, secunda contraria conceptui divinae retributionis, quae est secundum proportionem arithmeticam, non geometricam, gratis negantur.

3.º A priori cum D. Thoma (1); charitas convertit hominem ad Deum ut ultimum finem et quamvis intensior fiat non est nisi una perfectior conversio in eundem finem. Ergo nulla conversio actualis ad commutabile bonum est opposita et repugnans intensae etiam charitati, nisi quae includit moralem aversionem a Deo, ut ab ultimo fine; ergo non repugnat habituali conversioni charitatis ad ultimum finem peccatum veniale, quod licet multiplicetur numquam pertingit ad moralem aversionem ab ultimo fine: ergo non minuit charitatem nec per se ad talem remissionem disponit. Breviter et dilucide Angelicus: «Cum enim aliquis delinquit in minori, non meretur detrimentum pati in majori. Deus enim non plus se avertit ab homine quam homo avertat se ab ipso. Unde qui inordinate se habet circa ea, quae sunt ad finem, non meretur detrimentum pati in charitate, per quam ordinatur ad ultimum finem (2).»

24. Quaeres. Quomodo virtutes per se infusae subsint libero arbitrio?

Resp. Quatenus a voluntate pendet virtutes infusae exerere actum vel non, intensum vel minus intensum seu remissum elicere, cum voluntas positus ad agendum omnibus requisitis, ad libere operandum juxta suum arbitrium se determinat. Ratio est, quia si aliter fieret, voluntas non maneret libera ad actus, qui a virtutibus per se infusis coefferentur. Unde si voluntas excitatur ad agendum et libere consentit operari propter motivum formale alicujus virtutis per se infusae, hujus concursus praesto est illumque impedire non valet; cum virtus per se infusa necessariò concurrat ad actus suum motivum formale respicientes (3).

(1) 2, 2, Q. 24, a. 10.—(2) Vid. Lugo, De fide, D. 16, n. 87.—(3) Vid. Ripaldam. De ent. supern. D. 125; Card. Mazella. De virtut. infus. nn. 174.

## PARS I.

### De virtutibus theologicis.

#### CAPUT I.

##### De fide divina.

25. Prooemium. Inter virtutes theologicas primum locum obtinet fides, non dignitatis, major enim est charitas, sed generationis et ordinis; nam est fundamentum et basis totius aedificii spiritualis, propter quod *substantia rerum sperandarum* (1) ab Apostolo nominatur.

Fides varie accipitur, praecipue; 1.º Pro fidelitate seu veracitate in dictis et in promissis servanda. Ita Cicero (2); «Fides est doctorum et conventorum constantia et veritas.» Et in Levitico (3): *Anima quae peccaverit, et contempto Domino, negaverit proximo suo depositum quod fidei ejus creditum fuerat*, etc. 2.º Juxta aliquos catholicos sumitur etiam in Scriptura pro fiducia seu firma spe eventus rei promissae, sic S. Jacobus (4): *Postulet in fide nihil haesitans*. Dixi juxta aliquos, nam pie et probabiliter aliter sentiunt Bellarminus aliique theologi, non admittentes hanc significationem fidei saltem in usu sacrae Scripturae (5).—3.º Pro conscientia seu dictamine practice certo de liceitate propriae actionis; ut Paulus ad Rom. XIV, 23: *Omne quod non est ex fide*

(1) Hebrae, XI, 1.—(2) L. 1, offic.—(3) VI, 2.—(4) I, 6.—(5) Et recte, ut exponit Suarius (De fide D. 1, nn. 6, 8), nam Paulus (I. Timoth. III, 13) perfecte distinguit fidem a fiducia. *Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirunt, et multam fiduciam in fide, quae est in Christo Jesu*. Ergo cum Jacobus dicit in fide, non modo potest, sed valde probabiliter debet intelligi de vera fide si nihil obstat. Jam vero nihil obstat, etenim ad orandum fides est necessaria; verba, quae adduntur *nihil haesitans* optimam habent expositionem tum de ipsa fide orationi necessaria, tum de non haesitatione in ipso affectu orandi; id enim potuit dicere Jacobus, non quia fides illa sit fiducia, sed quia est radix fiduciae et quia ex perfecta consideratione fidei, et bonitatis ac benignitatis Dei, quam fides docet, provenit ut fidelis oret cum firmo affectu et sine haesitatione, sicut Petrus dixit (I.ª V, 9). *Cui (diabolo) resistite fortes in fide*.